luculentissima testimonia in rubros audire non recusate: in primis .N. magnus ille Poëta, atque omnibus seculis laudatissimus Olor Bilbilitanus, ubi omnibus numeris absolutissimum Lavernionem describere voluisset, primo quasi aliorum criminum insigne rufos crines hab~~uisse~~ere dixit, postquam .N. cecinit: Crine ruber: subiunxit: Rem magnam praestas Zoile si bonus es, ac si diceret portenti instar mihi videtur, si is qui ruber est, bonus esse possit; neque iste solus est, sed alius magnae indolis vates (videte quanta authoritate nitamur, qui vaticiniis in rubros utimur) vates, repeto, elegantissimus: Raro humiles, inquit, rubri sunt, atque fideles, quid? et cum insigne aliquod portentum describeret, capite, inquit acuto erat, ore rubicundo admodum, imo Luna ipsa vehemente aliquo coeli tempestate cito rubere inceperit, portendit, audite Plinium, Luna vero cum rubet ventos portendit. Plautus vero rubridum pro scabioso usurpat: Quid iam vobis videtur Auditores? nunquid paucos habemus testes, qui rufum colorem vituperandum dixerint? Nihilominus tamen vincat, quod hucusque disputavimus, adversarii oratio, nulla habeant tot Provinciis, quae rufos tanquam sanguinarios abominantur, authoritas nihil apud vos efficiant Plauti, nihil Plinii, nihil validissima multorum testimonia, nihil Suetonii, sint veteratores, concedantur hoc omnia adversario nostro hoc tamen unum, quod dicturus sum, tanto apud vos authoritatis fore confido, ut hoc solo argumento impulsam adversarii causam necesse sit funditus extirpari, oro itaque obtestorque vos Aud. Hunc attentissimas aures adhibeatis, animumque ad hoc argumentum convertite, ex quo damnare debetis opinionem Antagonistae nostri, nec tamen ut diligentissime attendatis oportet, verum